

A. D.

EXERCITIUM ACADEMICUM,
PROBLEMATATA
 QVÆDAM EXHIBENS,

Quod

Indultu bonacq; veniã Ampl. FAC. PHIL.
In Academia Percelebri Aboensi,

SUB PRÆSIDIO

Viri Celeberrimi

MAG. DAVIDIS BOND/
 Lingv. Orient. Professoris Regii
 & Ordinarii,

E Cathedra defendere conabitur

LAURENTIUS A. MATILAIN,
 O-Bothn.

*Horis solitis in Auditorio Maximo,
 die 6. Maji, Anno 1693.*

Exc. apud J. LAURENT. WALLIUM.

Reverendissimo in CHRISTO
Patri ac Domino,

DN. JOHANNI
GEZELIO,

S. S. Theolog. Doctori, inclytæ Diœce-
seos Aboënsis EPISCOPO Excellentissimo,
Regiæ itidem Academiæ PRO-CAN-
CELLARIO Amplissimo, & Ecclesiastici
Consistorii PRÆSIDI Gravissimo, Mæ-
cenati submissa mentis devotione
æternum devenerando.



*d tua depono, Pater O Celeberrime
foetum*

*Pulpita, Musarum: capias hunc qua-
so libenter,*

*Sic mea spes poterit preciosa sorte potiri,
Si præ se tanti liceat modo ferre decorem
Nominis; Et gaudens doctas accedat ad
ANNOS.*

AMPLISSIMO NOMINI TUO

Additissimus cliens

L. M.

Πρὸς τὸν, τῆς Φιλομαθείας καὶ καλοκα-
μαθείας εὐφημία ἐπαινεῖον,
Ἄνδρα Νεανίσκου,

Κύρ. ΛΑΟΥΡΕΝΤΙΟΝ ΜΑΤΙΓΛΑΙΝ,
Φίλον μου καὶ σύμμαχον ἐξαιρέτως
ἀγαπητὸν σύγχερμα.

Σπέδασον, αὐτῇ σοι σπερδῆ προσκοπήν
πρὸς Βάλλαι
Τερπνήν, ἣ δὲ χάριν σοι ἠδεῖαν πα-
ρα πάντο

Τέξεται, ὑπεροπ ἐσπομένην καὶ ἐλπίδα δώσει.
Χρησῶν ἐκ τῶν καρπῶν δῆπε ἀπολάυ-
ων

ἔσσαι, οἷοι ἔασσι, κλίθητε, τύχητε,
Θεοῖδ

Καὶ μεγαλοῖο ἀμύνη. λάμβανε ταῦτε
διδούτος

Καίγε Θεῶ, πὸν γὰρ καιρὸν μοχθῶν ἀ-
ναλίσκεις.

Κυριοχειδίως

DAVID LUNO.

Ε¹⁵ ἄλβον πάντων ὡς περ γῆν εἰαρ ὀ-
τρύνει,

δὸν θάλασσαν ἡμῖν ἡδῶ καὶ τὴν νιφάδ'
ᾧδεν,


Ὡς καὶ εἰωθὸς κρυερὸν πέδον εὐφορον εἶναι,
κῆλην ὅτε μέλω πτηνῶν, καὶ κάλλιαι ὅπα·
Ὅττως εὐκρασία ἀέρῳ δῆ συμφέρει ὄντως
πείραις σπυδατῶν, καὶ φῶς ἵνα ἐμφύου
εὐλοῖς

Θεῶν ἀεὶ μᾶλλον προφανῆ κράτῳ ἐν συ-
νέσ' ὀρθεῖ

καλλωπίσματι, πικιλία, πύξι, δελεάζει.
Ὡφελῶ ἐν τόσων εἰαρινῶ καιρῶ διατρίββης
ἀυτργὸς διαγιῶς σπυδῆ ἐμέλησε πῶτον
φυτῶ, ὡς νικῶν πρὸνοην φύσιν ἀξιεπαίνως
ἢν τὸ τέλῳ δεῖ καρποφορεῖν ἐν ὀψί' ὀπώρα·
πλαησίων διὸ εὐτυχιῶν ὑπολαυσάτω ἀυτῶ.

ἔτως συγχαίρει ἀυτργῶ τῆς συζη-
τήσεως πύτης καὶ ἐπιέρω ἐν
ὀλίγοις πῶ ἀγαθῆς ἐν παι-
δείᾳ προκοπῆς

LAURENTIUS SODANUS
Sch. Triv; Uhl. ConRect.



PROBLEMA PRIMUM.

*An detur certa & evidens cognitio
rerum naturalium ?*



diturus specimen quale-
cunq; studiorum, quan-
tum & tempus & for-
tunæ illis vacare per-
miserunt, Quæstionem
de cognitione Philosophicâ rerum na-
turalium, exordii loco attigisse haud in-
utile existimavi. Notitiam Universa-
lium dari & ipse scio, & cæteros mihi
hoc facile concessuros spero; sed si ad
inferiora & ea præcipuè, quorum etiam
oculis usurpamus imagines, demittatur
quæstio, tum & rerum ipsarum vari-
etas, & illorum quoque opiniones di-
versæ admodum, qui illas nobis reli-
querunt, pro suo quisque judicio per-
pensas, primâ fronte, assensum nostrum
non remorari tantum, sed & impedire

valdè, atque tollere cognitionem penitus videntur. Omissis nunc reliquorum placitis, longo itinere invicem distantibus, pauca de principiis, quibus omnis debetur cognitio, duorum Philosophorum, vehementer inter se de palmâ contendentium, referre lubet. Aristoteles duo statuit esse principia, *Materiam* videlicet *Primam* & *Formam*: sed cum illa concipi nequeat, quippe quæ nunquam existit; nescio qualis ex illo principio deduci possit cognitio. Præterea haud absque ratione ambigitur, *utrum Materia mereatur nomen principii, & jure, respectu corporis, yevivōs considerati, ita appellari debeat?* cum corpus generaliter spectatum, non sit diversum quidpiam à materia, sed omnino & eandem involvat essentiam formis scilicet destitutam, & eundem gignat conceptum ac materia ipsa, extensionis nimirum nudæ. Idem autem non est principium sui ipsius. Cartesius Aristotele annis quidem longe posterior, verum acumine ingeni &

novitates inveniendi sagacitate ipsi, mi-
nimè concedens, tria posuit Principia,
Materiam Primi, secundi & Tertii Elementi,
quorum illi naturâ suâ motum inesse,
celerrimisq; ferri ambagibus: hanc par-
ticulis constare, legibus motus in figu-
ram rotundam exacte solidamq; coactis;
Postremam vero crassiorum constituit
particularum compagem, ex illis su-
perstitem, quæ in classem nec primi, nec
secundi elementi obruditatem referri
potuerunt. Itaq; ut dicamus quod res est,
hujusmodi Principia naturæ Auctorem
præmississe rebus producendis, haud af-
firmaturus est, qui cum pia reverentiâ
sacris incumbit literis Neque hoc ideo
Cartesiani adserunt; sed tantum Hy-
pothesi assumptæ superstruere reliqua
se dicunt. Sed ut concedere faci-
les velimus, multa ex hypothesibus il-
lata, veritati facere patrocinium, non
tamen ita veritatis absolutæ conscii eri-
mus, sed relatæ tantum, hoc est, non
possumus nobis acquirere cognitionem
rerum, ut illa ex asse veritati respon-

deat, sed solummodo qualem mens
imbecillis, cogitationes circumcirca
versans, sibi comparare potis est. Ver-
bi causa, cum statuunt Mathematici dari
Epicyclos, quibus motus luminum cœ-
lestium explicant; punctum omnem re-
spuens divisionem; quantitatem ex-
pertem latitudinis & profunditatis, ut
earum quæ fiunt in cœlo vicissitudinum
rationem exponant, qui revera talia exi-
stere adfirmaverit laborem hoc defen-
dendi in se derivabit frustra. Sed quin re-
ctè supponantur, nemo sanus inficias ibit
cum hujusmodi suppositiones funda-
mento non careant; datur enim circu-
lus, punctum ac linea, & sic consequen-
ter. Verum num eodem jure Cartesiani,
suppositionibus superstruere effecta re-
rum naturalium possint, ac faciunt Ma-
thematici, haud immerito dubitatur;
Cum alia via & possit & debeat iri ad co-
gnoscenda aperiendaque arcana naturæ.
Cartesius statuit, motum fuisse indi-
tum materiæ subtilissimæ a conditore
rerum, & sua sponte cœtera deinceps
per

per illum prodiisse motum, quæcunq;
existunt; & ipse agnoscit hanc hypothe-
sin esse falsam, & fidei Christianæ con-
trariam, vid. Pet. van Mastricht. novitat.
Cartes. Gangrenæ p. 340. illam ergo
rejecimus venia Authoris. Scilicet suf-
ficiunt nobis veritati indagandæ rerum
naturalium principia ab Aristotele tra-
dita, atque fundamentis ex earum natu-
ra petitis innixa. Nemo enim adfir-
mare sustinebit, Materiam & Formam
non existere, quamvis separatæ a cor-
poribus specialibus minimè reperiantur.
Quo minus tamen eorum conceptum
generalem, ope abstractionis menti si-
stere queamus, nihil obstat, atque sic
collocare loco principiorum etiam in
generali parte Physicæ. Alias namq;
manca foret scientia, principiis quippe
destituta necessariis. Nec obstat, quod
materia & corpus utrinque extensio-
nem inferant, poterit tamen corpus
considerari tanquam distinctum quid-
piam a materia, quatenus hæc princi-
pium

pium passivum est, illud soboles generalis. Itaque his adfertis, insuper asseveramus, dari notitiam evidentem rerum naturalium, quia dantur principia, objectum, affectiones & subjectum: Persæpè tamen propria, ad essentiam consecutive relata, pro formis assumimus.

PROBLEMA SECUNDUM.

An Accidens sine subjecto existere possit?

HANC quæstionem inseruit egregio operi logico excellentissimus Dn. D. Jacob. Flach. Mæc. opt. unde nunc illam discutiendam mutuo desumo. Sed antequam huic quæstioni, ut decet, occurrere possimus, e re est, distinguere inter Accidens Prædicamentale & Transcendentale. Illud omninò indiget subjecto Inhætionis, cum scil. per se subsistere nequeat, quare etiam Celeberrimus Auctor adjecit explicationi quæstionis particulam *naturaliter*, ut scil. ma-

manifestum evaderet, nunquam posse
 Accidens separatum atque sejunctum
 a suo existere ὑποκειμένω, naturæ Viri-
 bus suffultum, sed omnino sustentandum
 esse a subiecto suo. Aliter autem cen-
 sendum est de accidente transcendentali,
 quod non necessario subiectum requi-
 rit Inhæſionis, quemadmodum exem-
 plo nobis manifestissimo est actio crea-
 tionis, quæ e numero Accidentium es-
 se constat. Nihil enim prorsus erat in
 principio rerum earum quæ jam exi-
 stunt, sed circa nihilum purè negati-
 vum occupata fuit Omnipotens virtus
 agentis, ex quo omnia deinde producta
 fuere. Et nunc quoque utrum extra
 subiectum consistere possit Accidens,
 viribus DEI Opt. Max. innixum, non
 negamus etiamsi rationis scrutinio
 id ipsum assequi haud valeamus. Acci-
 dens autem migrare e subiecto in sub-
 jectum, adfirmare non videtur ἄξιον, u-
 bi tamen distingvendum inter Acci-
 dentia Physica & moralia, de postero-
 ribus quod statuo intelligendum est.

PRO-

PROBLEMA TERTIUM.

An Cælum extrinsecum sit in loco ?

Triplici ratione aliquid in ubi esse dicitur nempe *Repletive definitive & circumscriptive*. Primus modus soli DEO competit, qui ubique essentialiter præstò adest, ut nullo locorum spatio determinari possit, adessentia illius quin cætera quoque repleat loca, non quidem per extensionem, qua corpora sunt instructa, sed modo ineffabili atque nobis incognito. Secundus modus spiritibus finitis proprius est, quod scilicet non possint semel & simul in pluribus subsistere locis, sed definiantur eorum essentiæ certis spatiorum limitibus, quanquam agilitate gaudeant, cogitationibus nostris quaquaversum celerissime euntibus respondente. Tertius denique corporibus accommodatur; ea etenim a vicinis & immediate contingentibus coarctantur corporibus. Si jam per locum intelligatur superficies

9
extensa ambiens corpora, quæ in loco esse dicuntur, nemo quæstionem adfirmare sustinebit, qui memor fuerit superficiem esse affectionem quantitatis; extra terminos vero cœli ultimi ut quantitas non existit, ita nec superficies. Rursus si ex sententia Meisneri Phil. Sobr. p. 371. & seqq. consideremus locum velut extensivam corporis situationem simpliciter in externa superficie non consistentem, ad reliqua corpora relatum, tum quidem adfirmari, non tamen absque difficultate, quæstio potest: licet enim, ab omnibus partibus cœlum ultimum non cingatur mole corporea, tamen in loco esse dici potest respectu materiæ a parte concava illud attingente. Verum posset regeri, ea ratione corpus in loco non existere, cum scilicet ab inferiore tantum determinetur parte. At facile huic occurritur difficultati, si præeunte Meisnero dicamus, essentiam loci non consistere in superficie exteriori totum corpus

ambiente, sed sufficere, si illius quædam partes a superficie contigua definiantur, & ea ratione cælum in loco esse dici poterit. Quin & respectu situationis particularum internæ, quæ locus internus aliàs appellari consuevit. Hic iterum objici posset: hoc modo, quod statuamus, corpus idem in loco esse & non esse. Prius, quia determinat cælum ultimum a parte concava, materia immediate illud contingens; posterius, quod nullum omninò corpus circumferibat partem cœli extimi convexam. Sed hunc etiam scrupulum tollet diversus respectus; non enim secundum idem cælum dicitur esse in loco & non esse, ut ex superius prolatis verbis apparet; itaque diversus respectus omnem diluit contradictionem.

PROBLEMA QVARTVM.

An malum sit Ens merè privativum?

Hic primum operæ pretium est indicare, per malū, malū culpæ intelligentem.

gendum esse, non autem pœnæ. Sed statim oritur controversia, quomodo possit appellari malum, quod privationem involvit, ens, cum omne Ens sit positivum, & illi contrarie oppositum inferat entis negationē. Quare ne in hunc impingamus lapidē, oportet ad duplicem Entis attendere significationem, quatenus illud & strictè & latè accipitur. Si priori modo illud pensitemus, tum Entium numerum absolvunt ea tantum, quæ veram, realem & positivam habent existentiam, ut Creator & creatura, substantia ac Accidens. Posteriori vero ratione, cum Entis conceptum in latiori formamus significatu, etiam illa in Entium recipiuntur classem, quæ partim positivè, partim privativè explicantur. Ejusmodi autem est de quo nunc disserimus, malum culpæ. Pontificii ut peccati originalis extenuent pravitatem, meram id justitiæ concreatæ privationem esse adfirmant. Sed nos illis occursuri statuimus, etiam positivi quidpiam

piam reperiiri in actionibus a norma
 declinantibus, quod ipsum haud diffi-
 culter nobis persuadere possumus, si at-
 tenderimus, definiri malum per habi-
 tualia animi vitia; inhærere subjectis
 intimè; promanare a labe originali a-
 ctus positivos; peccatum atq; iustitiam
 originalem opponi etiam contrariè;
 quod scilicet in homine non sit tantum
 absentia rectitudinis moralis, sed etiam
 in vetitum natura, sua, qualis jam est
 depravata, ire nitatur, atque actiones
 committat in lege prohibitas. Porro
 cum dicimus malum esse sui quadam
 parte positivum, videtur hinc sequi aut
 Deum velle malum, siquidem omne ens
 positivum illum agnoscit Auctorem,
 aut malum in numerum entiam non
 esse admittendum. Sed prioris facile
 illationis expirat vis, si recordari veli-
 mus eorum, quæ modo fuere allata,
 nimirum *ἐν πλάτει* sumendam esse
 vocem Entis cum malo adscribi-
 tur, & sic posterior quoque e sede de-
 struitur sua. Postea quando subscribimus
 sen-

sententiæ eorum, qui sciunt malum
 contrahere quidpiam ex ente positivo.
 Quærere aliquis insuper posset: *quale*
ens sit illud, creatum ne an increatum? sed
 neutrum adfirmari potest. Illud enim
 principium essendi nullum agnoscit;
 hoc a Deo productum intellectui & vo-
 luntati ejus conforme est. Itaque di-
 cendum, esse *Ens introductum* Auctore
 Diabolo & illius suggestionibus assen-
 tiente voluntate hominis. Verum ad-
 huc laborat sententia difficultate cum
 inter creatum & increatum non videat-
 ur dari ullum medium. Sciendum er-
 go, quanquam illi Termini videantur id
 habere in recessu ut ne medium nega-
 tionis quidem admittant, adeoque quic-
 quid ad illos referri nequit, nihil esse
 prorsus; ulterius attendendum Ter-
 minos ante dictos positi vos esse non
 contradictorios, sicque medium agno-
 scere; ut multa hodieque generantur,
 quæ non per creationem producta fu-
 ere. Malum etiam introductum non
 creatum est. Iam denique dispicien-
 dum

dum, in quo consistat esse positivum mali. Formalis sane ratio illius residet in exercitio actus positivi, qui non tantum aberrat a lege præscripta, sed etiam contrarium actum exercet. Distingvunt multi inter actum & ejus *ἀναξίαν*. Quæ etiam distinctio sua non caret utilitate, cum disceptatur inter eruditos nostræ religioni addictos & Calvinianos de causa peccati. Vid. Meisnerus Phil. sobr. pag. 536 & seqq.

PROBLEMA QUINTUM.

An Anima separata operetur?



Quemadmodum difficilimum est percipere *κοινωνίαν* animæ & corporis, ita adhuc difficilius est, penetrare in cognitionem operationum animæ separatæ, quam certo statuimus occupari circa actiones. Licet enim non sit suppositum, sed in classe entium incompletorum reponenda, tamen ab operatione cessare jure dici non po-

potest. Quemadmodum enim cum domicilio suo conjuncta actiones exercet, totique composito dat esse, distinctivi & operari, ita etiam ex illo ejecta suis non illico exuitur exercitiis. Retinet enim facultates proprias, & ipsa quoque actuosissima est. Quomodo igitur posita essentia reali actiuosa, non etiam concedentur operationes ab illa emanantes. Laterem igitur lavant, qui contrarium ex eo statuere conantur, quod actiones sint suppositorum. Suntu, at illis in mentem venire debuit, actiones totius quoque compositi partibus illud constituentibus adscribi oportere. Sic intelligere & velle sunt operationes animæ propriè competentes, quæ tamen homini propter intimam conjunctionem partium essentialium adscribuntur. Ire de loco ad locum, comedere, bibere actus sunt corporis peculiare, qui tamen supposito attribuuntur ob rationem modo allatam. super hac controversia consuli poterit

Mejeri colleg. Pneumat.

SOLI DEO GLORIA!

VIRO JUVENI

Pereximio atque Erudito

DN. LAURENTIO
MATILAIN,

Amico veteri, præcipuo, integerrimo
meritoque dilecto, Exercitium Acade-
micum egregium atque laudabile
in lucem edenti, sic
accinit:

Artibus egregiis incumbere per-
gis Amice,
Quæ tibi perpetuum faciunt con-
tingere nomen.

Vota tuis tantum progressibus ad-
dere claris,
Ut decet, ex animo non cesso. vi-
ve valeque!!!

ZACHARIAS URSINUS.